

DE VITA CONSECRATA IN IURE UTRIUSQUE CODICIS ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS

SUMMARIUM: Praemittuntur notanda de codificatione, de titulo et de structura Codicis Orientalis atque de elementis quae in doctrina de vita consecrata efferuntur. Sequuntur puncta maiora de hac materia, fusius exposita, et cum eis quae Codicis Occidentalis sunt propria, comparata; nempe de ipsa consecratione vitae, de votis, de charismate Instituti et de typologia. In specie exponitur distinctio in hoc Codice clare peracta inter Societates vitae apostolicae, quae vitae consecratae accedunt et societates quae instituta vitae consecratae sunt. Tollitur in Codice Orientali confusio quae in Codice Occidentali est stabilita. Codicum comparatio paulatim in iure vitae consecratae nova fiet progressio.

Praemittenda

Ut recte de hac materia tractemur, tria nobis utiliter videntur hic praemittenda, quae de ipso «Codice canonum Ecclesiarum Orientalium»¹ sunt notanda et quidem sequentia tria puncta:

- De labore codificationis Codicis Orientalis.
- De eius titulo et structura.
- De vita consecrata in Ecclesiis Catholicis Orientalibus notificanda quae non sine momento sunt

¹ *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, in AAS 82 (1990) 1033-1363 promulgatus est. *Codex Iuris canonici*, in AAS 75 (1983) II, XXX, 1-317; 318-324.

tum in doctrina in hoc Codice elaborata, tum pro ipsa eius cum Codice latino comparatione.

I. De codificatione Codicis Orientalis

Codificatio iuris orientalis seu canonum Ecclesiarum Orientalium momentum habet ecclesiasticum maximum et ob eius praeparationem et ob eius in ipsa Ecclesia catholica et actuale pondus et in futuro praevidendum influxum.

Longa fuit et diuturna illius codificationis praeparatio. Breviter eius datur hic historica evolutio².

Incipit labor iste sub Pio IX, anno quidem 1858, qui fontes Iuris Orientalium Ecclesiarum coadunandos esse voluit. Quae prima documenta sub titulo «*Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*» publici iuris fiunt annis 1864-1868.

Ab eodem Pio IX constituitur anno 1862 in Congregatione de Propaganda Fide «Congregatio seu coetus Cardinalium pro ritibus orientalibus», cui committitur cura coordinandi canones Orientis.

In Concilio Vaticano I, annis 1869-1870, exurgit quaestio breviter sed et publice tractata de disciplina Orientis. Instituitur commissio «De missione et Ecclesiis Orientalium rituum». Ponitur in Concilio quaestio de ipso Codice constituendo de quo sermo fit, qui sit Codex unicus totius Ecclesiae catholicae sed etiam de proprio Codice unicuique ritui parando.

² I. ŽUŽEK S.I., *Presentazione del «Codex canonum Ecclesiarum Orientalium»*, in *Monitor Ecclesiasticus*, 115 (1990) 591-612; E. EID, *La révision du Code de droit canonique oriental: histoire et principes*, in *L'Année canonique*, 33 (1990) II-27; C.G. FÜRST, *Katholisch ist nicht gleich lateinisch. Der gemeinsame kirchenrechts-Kodex für die katholischen Ostkirchen*, in *HerderKorrespondenz*, 45 (1991) 136-140.

Anno 1917 BENEDICTUS XV Congregationem de Ecclesiis Orientalibus constituit, separata ab illa quae de Propaganda Fide est.

Anno 1926 quaestio de codificatione iuris orientalis iterum ponitur in sessione plenaria Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus.

Anno 1938 PIUS XI competentiam huius Congregationis Orientalis ad omnia fere negotia harum Ecclesiarum tractanda ampliat.

Sed iam anno 1927 idem Summus Pontifex PIUS XI de iure orientalium constituit coetum cuius ipse remansit praeses usque ad annum 1929. Qui annus 1929 habetur foundationis «Commissionis Cardinalium» ad parandam codificationem iuris orientalis.

Anno 1935, idem PIUS XI Commissionem Pontificiam ad Codicem iuris canonici orientalis redigendum constituit. Mens PII XI sequens fuit: unus sit codex orientalis, non autem codex pro tota Ecclesia catholica communis; insuper maxima in rerum investigatione et elaboratione libertate fruantur oportet consultores, immo si unanimes sint Codicem latinum anno 1917 promulgatum ut laborum fundamentum assumere poterunt. Non incerta videtur mens PII XI qua propensus fuerit de uniuscuiusque Ecclesiae orientali parando et concendendo codice proprio.

Labor commissionis arduus fuit et fructuosus, etsi tempore belli mundialis perficiendus. Iam anno 1948 textus totius Codicis paratus est, qui 2666 canones complectitur. Ab anno autem 1949 incipit eius per partes promulgatio a Pio XII; promulgatur nempe anno 1949 ius matrimoniale³, anno 1950 ius

³ Mp. «*Crebrae allatae sunt*», in AAS 41 (1949) 89-90; sequitur textus pp. 90-119.

processuale⁴, anno 1952 ius religiosorum⁵ et anno 1957 ius personarum i.e. personarum physicarum et moralium, ius de clericis et de constitutione hierarchica Ecclesiae ut de clericis in specie⁶.

Commissio anno 1935 constituta, activa remansit usque ad annum 1972⁷.

Anno autem 1959 Concilium Vaticanum II celebrandum a Summo Pontifice IOANNE XXIII nuntiatur simul ac ipsa Codicis latini revisio praevidetur. Ipse Pontifex tunc cogitabat de mox facienda promulgatione totius Codicis orientalis.

Quam suam mutavit sententiam fine anni 1959, impediens quin promulgaretur pars Codicis orientalis: «De Sacramentis»⁸. Sed ipsum Concilium, uti praevidebatur, totius Ecclesiae catholicae fiet renovatio in utroque codice assumenda.

Anno 1960 IOANNES XXIII commissionem de Codice Iuris Canonici latino revisendo instituit quae post Concilium opus suum anno quidem 1965 inceptit. Tunc iterum ponitur quaestio duplex: rediguntur duo Codices, unus latinus, alter orientalis? Praecedatne eis codex communis?

Quae quaestio anno 1965 ipse Summus Pontifex PAULUS VI reassumpsit et quidem initio laborum

⁴ Mp. «*Sollicitudinem nostram*», in AAS 42 (1950) 5-6; textus habetur pp. 6-120.

⁵ Mp. «*Postquam Apostolicis Litteris*», in AAS 44 (1952) 65-67; textus pp. 67-102 simul publici iuris fiunt partes: *De bonis Ecclesiae temporalibus* (pp. 71-92) et *De verborum significatione* (pp. 92-102).

⁶ Mp. «*Cleri sanctitati*», in AAS 49 (1957) 433-435. Textus habetur pp. 436-603.

⁷ I. ŽUŽEK, art. cit. (nt. 2) 592-593.

⁸ I. ŽUŽEK, *Les textes non publiés du Code de droit canon oriental*, in *Nuntia* 1 (1975) 23-31.

Commissionis, sequenti modo: «*Cum duo codices praevideantur, convenitne ut codex communis et fundamentalis redigatur?*»⁹. Codex tunc «communis» vocatur; fiet «*Lex Ecclesiae fundamentalis*», quae plures habuit redactiones¹⁰ sed non est promulgata et quidem ob rationes oecumenicas. Quae promulgatio, uti dicebatur, tardius fiet et «in posterum reservatur»¹¹.

Anno 1972 nova a PAULO VI commissio de codice iuris orientalis instituitur. Qui codex hodie vocatur «*Canonum Ecclesiarum Orientalium*», et promulgatus est die 18 octobris 1990 atque a die 1^o octobris anni 1991 vim legis obtinet. Nemo qui iuris Ecclesiae sit peritus, hanc novi codicis potest negligere vel ignorare theologico-canonicam doctrinam et legalem eius obligationem et observantiam.

II. De ipsius codicis orientalis titulo et structura

Quaestiones de titulo et de structura codicis orientalis fuit saepius examinata et iterum atque iterum disputata.

Titulus codicis non similis potuit esse ac codicis latini et ob varias rationes quae non sunt semper eiusdem momenti et ponderis. Facilior locutio, si fuisset denominatio alia codicis latini, alia orientalis, sed difficilior si fuisset et Orientis et Occidentis. Ex traditione Orientis codex est «canonum collectio», atque vi eius antiquioris traditionis ita retinetur et nominatur novus codex: «*Codex Canonum Ecclesia-*

⁹ AAS 57 (1965) 988.

¹⁰ Vide *Lex Ecclesiae Fundamentalis. Textus et documenta*, P.U.G., Roma, 1977³, 135.

¹¹ Cfr. *Communicationes* 12 (1980) 453-454; 16 (1984) 91-99.

rum Orientalium». Vitatur tali denominatione nimis similitudo vel unificatio.

Difficilior atque longior fuit quaestio de ipsa codicis orientalis structura. Exclusa est ordinatio materiae in libris quae in codice anni 1917 fuit iuxta tripartitam romanam divisionem: personae, res et actiones. His tribus partibus in codice latino praemittebatur liber primus «*De normis generalibus*»; concludabatur codex ultimo libro «*De poenis*». Novus codex latinus, qui est anni 1983, meliorem obtinuit, uti notum est, partitionem, septem nempe librorum.

In parando autem codice orientali plura vigorose sunt exclusa, non dantur libri sed tituli aliquando subdivisi capitibus. Quae capita subdividuntur articulis. Sunt in ultima redactione codicis orientalis triginta tituli.

Initium codicis non fit tractando de normis generalibus. Voluit commissio initium ecclesiologicum quod est de ipsa Ecclesiae constitutione et agit primo de omnibus christifidelibus et de ecclesiis sui iuris et de ritibus; deinde agit de ipsa suprema auctoritate, de ecclesiis patriarchalibus et de aliis Ecclesiis.

Etsi desint libri, materia, etiam diversis titulis exposita, saepe necessariam obtinet unitatem; quae unitas ex materia tractata magis elucet. Sic structura ipsa codicis ex ordine titulorum erui potest. Structura est sequens:

I. Duplici titulo, uti diximus, tractatur de Christifidelibus.

II. Deinde habetur pars de auctoritate et structura Ecclesiarum quae septem titulis constat.

III. Tertio verba fiunt de clericis, de laicis, de vita consecrata et de associationibus fidelium. Sunt et quattuor tituli.

IV. Duo habentur tituli, quibus tractatur de Po-

pulorum evangelisatione et de Ecclesiae magisterio.

V. Sub unico titulo, agitur de cultu divino et de sacramentis. Qui titulus «De cultu divino» videtur amplior sub quo et habetur tractatio de sacramentis.

VI. In hoc codice sub duplici titulo habetur novitas magna, oecumenica quidem, quae agit de baptismo non-catholicorum et de oecumenismo et Christianorum unitate fovenda. Quae omnia sunt de unitate in communione ecclesiali fovenda.

VII. Uniuntur quattuor tituli: de personis et actis iuridicis, de officiis, de potestate regiminis et de recursu contra decreta administrativa. Quae omnia videntur administrativa. Quae autem de recursu etiam sub titulo de processibus suum obtinere potuissent locum.

VIII. De bonis Ecclesiae temporalibus habetur unus titulus.

IX. Tres dantur tituli sequentes: de processibus in genere, primus; de processu contentioso, secundus; de processibus specialibus, tertius.

X. Sub duobus titulis agit codex de sanctionibus et de procedura eas infligendi.

XI. In fine ponuntur «Normae generales» quae sunt de lege, consuetudine, de actis administrativis, de praescriptione et de supputatione temporis. Quae ultima pars potuisset subsumi sub septima subdivisione quae agit de potestate et de actis iuridicis, decretis administrativis etc.

Fuisset, uti videtur, optima divisio totius materiae sub decem subdivisiones iuxta rerum et actuum naturam distinguendas.

His iam breviter expositis, iam devenimus ad materiam de vita consecrata tractanda.

III. De vita consecrata in codice orientali

Logica, uti vidimus, dispositione codicis in titulo XII agitur de vita consecrata et titulo quidem ex omnibus vere longiori: **De monachis ceterisque religiosiis et de sodalibus aliorum institutorum vitae consecratae.**

Locus tractandae huius materiae videtur logicus, bene fundatus, cum, uti videmus, in hoc codice «laicus» alio modo quam in codice latino definitur. «Laicus» in codice orientali dicitur «qui neque clericus neque religiosus est». Non est plena innovatio haec definitio, cum in Constitutione «Lumen Gentium» illa habeatur laicorum descriptio, capite quidem 32 «De laicis». Qui laicus dicitur «*hic qui non est clericus neque in statu religioso*»¹². Difficilius autem retinetur alia divisio, quae etiam in «Lumen Gentium» datur. Fideles enim distinguuntur in clericos et laicos. Quae divisio dicitur «hierarchica» et iuris divinis. Religiosi vero in L.G. dicuntur non pertinere «ad structuram Ecclesiae hierarchicam»¹³.

Concludendo potius dici potuisset «laicus» «christifidelis qui non est clericus», sed difficulter suppressi potest hodie denominatio «laicus». Sed et etiam difficilior sit «consecratus», tum a mundo separatus, tum in mundo insertus¹⁴.

¹² L.G., n. 31 a et b.

¹³ L.G., nn. 30a; 43b et 44d. Commissio de vita consecrata hanc positionem non assumit in c. 574 § 1; commissio altera de christifidelibus eam refert c. 207 § 1, ubi verba facit de divina institutione et in § 2 de hierarchica Ecclesiae constitutione, cui non pertinet status eorum qui Deo professione consiliorum evangelicorum consecrantur.

¹⁴ *Separatio a mundo* de religiosiis dicitur in c. 607 § 3; *insertio in mundo* institutorum saecularium in c. 710, 713 et 714.

De *titulo* seu de huius materiae denominatione in Codice orientali haec animadvertuntur: stylistice nimis longus, magis descriptivus est historicae evolutionis, quae a monachis ad saecularia instituta aliasque novas vitae consecratae formas ducit. Doctrinaliter autem effertur vita monastica, cui adhaerent vel, uti dicitur, «accedunt» alii Ordines et Congregationes; de aliis autem vitae consecratae succincte refert formas, quae in Codice orientali sunt «Societates vitae communis ad instar religiosorum», instituta saecularia, aliae formae et individuales ut eremitae, virgines et viduae. Tacet titulus de societatibus vitae apostolicae, quae his vitae formis, uti dicit ultimus canon, accedunt. Quae positio contraria est ei quae Codicis latini est¹⁵.

Ultima tituli verba de se complexiva sunt, nam, uti insinuat, a monachis ad institutae saecularia omnia sunt instituta vitae consecratae considerata. At ob formas individuales vitae consecratae titulus totius tractationis melior fuisset: «De vita consecrata».

Insuper haec notanda sunt: in hoc titulo XII Codicis orientalis potius loqui videtur legislator de personis quam de institutis, et nominatim de monachis, de religiosis et de sodalibus aliorum institutorum vitae consecratae.

Difficultas insuper in eo habetur quod vita eremitica, quae sicut et virginum et viduarum fuit in Ecclesia initialis, in fine tractationis c. 570 considerantur. Qui dicuntur «ascetae» vitam eremiticam imitantes, pertinent vel ad instituta vitae consecratae vel

Notatu dignum est in decreto Presbyterorum Ordinis de presbyteris distingui *segregatio* a separatione. Cfr. *P.O.* n. 3.

¹⁵ Cfr. *C.I.C.*, cc. 731-746; *C.C.E.O.*, c. 572.

non¹⁶. Item virgines et viduae consecratae seorsum in saeculo castitatem publica professione profitentes. Sed ad vitam peragendam melius videtur hos solitarios in instituta efformanda non coadunari¹⁷.

Quas ob rationes hic iam allatas, uti in Codice latino etiam in Codice orientali iterum melius tota materia una denominatione designatur, nempe ut «vita consecrata». Quae vita consecrata, ut facilius et aptius proponatur, primo individualis, postea aggregata vel consociata consideranda esse videtur¹⁸.

Etsi in Codice orientali vita monastica ut forma videtur exponi maior, immo et aliarum origo et exemplar, videntur pauca haberi monasteria, prout in Codice ipso exponuntur. Immo notatur ordines olim monastici, post promulgationem partis de Religiosis Codicis orientalis a Pio XII anno 1952 peractam, anno 1955 ut non-monastici sunt declarati fere omnes. Apostolatus enim operibus dedicantur. Quod ipsa declaratione Sanctae Sedis significatur¹⁹.

Quae rerum dispositio et status vitae monasticae

¹⁶ De eremitis vide partem de monasteriis et monachis cc. 481-485; de aliis eremitis c. 570. E contextu videtur eremitica vita dici de monachis; de eremitis non-monachis dicitur eos «vitam eremiticam imitari». Alia positio est Codicis latini c. 603 § 2.

¹⁷ Notatur distinctio inter institutum et consociationem; de qua ultima loquitur c. 604 § 2 Codicis latini. In c. 570 codicis orientalis dicuntur «ascetae» sive ad instituta vitae consecratae pertinere sive non. Quae ultima positio non est clara: eremita potest esse sive membrum instituti vitae consecratae quod non sit institutum vitae monasticae (cc. 481-485), sive membrum instituti quod eremitas congregaret.

¹⁸ Evolutio fuit vitae consecratae quae prius fuit individualis, postea vitae communis.

¹⁹ Quae instituta olim ordines monastici ut non-iam monastici in *Annuario Pontificio* enumerantur. Vide *Annuario Pontificio* 1991, 1362; 1365-1368.

negatio plures afferunt difficultates. Etenim tractatio de vita religiosa continuo ad vitam monasteriorum sese refert quae, si textu considerantur, re non iam ut vere monastica existunt.

Denominatio, uti diximus, descriptiva vitam proponit monasticam ut priorem non tempore sed valore, etsi ipsa vita monastica in his monasteriis non iam habeatur. Religiosos videmus vitae monasticae accedere, etsi ipsi in monasteriis vivere pergant. Quae omnia in iure ad claritatem normarum non ducunt.

Sed nunc alia etiam maiora puncta, praesertim doctrinalia, sunt consideranda:

1. *Consecratio* dicitur sola professio monastica (c. 462); religiosi dicuntur in professione tria emittere vota (c. 504), professio in ordine religioso professioni monasticae dicitur aequiparata (c. 504 § 1), dum in Congregationibus tria emittuntur vota in professione quae professioni monasticae non aequiparatur (c. 504 § 2). Clarius ponenda est notio consecrationis, quae plena et completa dici potest quin habeantur vota monastica, immo nec religiosa²⁰.

2. *De votis* haec sunt notanda: non distinguuntur vota solemnia et simplicia, at distinguuntur publica et privata. Vota dicuntur publica in canone qui de Congregatione religiosa agit (c. 504 § 2). Tria vota in professione monastica non videntur exprimi. Dicitur professio haec vota comprehendere, non necessario exprimi et emitti, ut in c. 504 § 2. Quae etiam in iure latino habentur usu antiquiora, pluribus in Ordinibus non tantum monasticis sed et aliis²¹.

²⁰ P.C., n. 11 ubi aperte affirmatur «*instituta saecularia, quamvis non sint instituta religiosa, veram tamen et completam consiliorum professionem...*» secumferre.

²¹ In Regula S. BENEDICTI formula professionis non tria

3. *Vota temporaria* non uti in iure latino semper imponuntur. Vota haec vota perpetua praecedunt in Ordinibus et Congregationibus (c. 465), non autem in monasteriis in quibus, si non habentur, novitiatus protrahitur longius et est trium annorum (c. 457 § 1). Secus novitiatus est unius anni (c. 457 § 1); prorogari potest ad alterum annum, si novitius videtur dubiae idoneitatis (c. 461 § 2).

4. *Professio* autem in monasteriis potest haberi diversa; quae diversitas in Codice non determinatur sed in Typicon vel regula est statuenda²².

5. *Charismata* quae sunt iuris proprii et peculiaris identitatis ratio in hac parte Codicis orientalis hac voce non designantur vel declarantur, etsi in parte de laicis haec dona Spiritus Sancti enumerantur (c. 381 § 3). Sed vox in parte de vita consecrata, quae saltem octies in iure latino habebatur, in ultima revisione textus ab ipsis consultoribus Summi Pontificis suppressa est. Et unus consultor de laicis loquendo charismata voluit designare, sed alter renuit atque ubique, etiam in parte de vita consecrata, vocem «charisma» Commissio suppressit²³.

6. *Typologia* vitae consecratae, quae iam in Concilio Vaticano II apparet, in Codice latino melius exponitur, in Codice orientali supponitur, etsi desit

explicite exprimit consilia evangelica. Vide Regulam cap. 58. Apud alios sola nominatur oboedientia v.g. apud Carthusianos et Fratres Praedicatores.

²² Diversitas graduum professionis monasticae etiam in textu Codicis Orientalis a P. Pro XII anno 1952 promulgato recensetur c. 109.

²³ Vox «charisma» in Codice latino retenta est usque ad ultimam schematis redactionem Summo Pontifici anno 1982 praesentatam. Vide cc. 580; 590 § 3; 631 § 1; 708; 716 § 1; 717 § 3; 722 § 1 et § 2.

canon qui de hac re formaliter, uti in Codice latino (cc. 577-578; 586; 605) agat. Notandus tamen est c. 571 qui, ut parallelus cum c. 605 Codicis latini, habetur²⁴.

7. *Vita monastica* silentio et solitudini dicata, ut ipsa plene servetur habentur normae de catechesi non tradenda in propriis ecclesiis (c. 479) et de non admittenda in eis paroecialis cura (c. 480). At severior est positio tam Decreti P.C. n. 7, quam Codicis latini c. 674.

8. *Vita operibus apostolicis dedita*, de qua in Codice latino habentur cc. 675-677²⁵, in Codice orientali non habetur, propria norma generali determinata, at quaedam habentur in cc. 452 et 543 de parochiali cura sicut et in c. 480. Notandum est nihil de actione apostolica determinari in cc. 554-562 at optime definiuntur quoad instituta saecularia in cc. 563 §§ 2 et 4 et c. 565, quae sunt propria eorum saecularitatis.

9. *Instituta saecularia*, etsi in his Ecclesiis pauca sunt, breviter tractantur at in pluribus fit referentia ad canones anteriores etiam qui de vita vel monastica vel religiosa agunt, uti sunt cc. 414, 424, 425, 505 § 2, 506, 507 § 2, 509, 510.

²⁴ Distinctio ulterius erit facienda inter Societates sacerdotales, uti sunt Oratoriani, Sulpiciani, Eudistae et Societates missionariae, quae numero sunt maiores; inter has ultimas «Missionarii Africae» qui dicuntur «Patres Albi» recenter omnes non tantum fratres sed et Patres tria assumunt consilia evangelica in consecratione vitae peragenda. Qui certo certius «religiosi» non sunt, at non ea de causa vitam non haberent consecratam.

²⁵ Vide quae scripsit A. SAUVAGE, Filiae Caritatis, quae non tantum mentem S. Vincentii a Paulo exposuit sed difficultates de hac re, cum alio perito, qui Congregationis Missionis erat, exponit in articulo suo: *Est-il canoniquement possible que des sociétés de vie apostolique soient des instituts de vie consacrée?* in *Commenta-*

10. *Canones communes* omnibus vitae consecratae formis nunc semper maioris utilitatis videntur, quibus fundamentalia in doctrina et in iure apparent eorum elementa ob referentiae quae, uti in parte de institutis saecularibus fiunt et nuper indicatae sunt. Qui canones communes habentur in Codice latino sed numero minores (cc. 573-606) quam in schemate anni 1977 quod amplius totam materiam recte pertractabat (cc. 1-88).

11. *Societates vitae apostolicae*, de quibus supra iam verba breviter fecimus, in Codice orientali a «societatibus vitae communis» opportune distinguuntur. Quae societates vitae apostolicae uno tantum canone citantur (c. 572). De his aperta remanet de eorum natura quaestio, cum aliae dicuntur esse vitae consecratae, aliae sacerdotales, praesertim et missionariae quae sese declarant apostolatu dedicatas quin sint consiliis evangelicis consecratae. Quae res remanet disputata.

Quaestio in commissione peritorum ad codicem latinum componendum disputata fuit quin de his societatibus debita daretur informatio. Duo erant talium societatum invitati, duo inter peritos nominati, qui semper oppositam tenuerunt sententiam. In fine,

rium pro Religiosis 70 (1989) 39-48. De perito in commissione vide p. 43. Immo et recte notat virorum societates influxum habuisse quin societates mulierum interrogarentur. Vide p. 43. Invitati fuerunt etiam in commissione duo Superiores Societatum, unus Eudistarum qui suam societatem ut non vitae consecratae proposuit, alius Pallotinorum qui dixit eos habere «magnam consecrationem», quae germanice affirmavit: «Wir haben eine grosse Weihe», at non omnes praesentes hoc intelligere potuerunt. De Pallotinorum instituto et consecratione vitae agit: JACEK WIERZBA, SAC., *San Vincenzo Pallotti, Precursore di un movimento ecclesiale*. Thesis ad lauream, P.U.G. Pro manuscripto, 619 pp.

canone primo, qui est c. 732 adiuncta est nova paragraphus qua dicuntur societates aliquae assumere consilia evangelica vinculo quidem in statutis eorum definito; quod vinculum a praeside dicebatur «sacrum» quin tamen hoc in textu referretur²⁶.

Dicuntur ad instituta vitae consecratae «accedere». Quod verbum «accedunt» recte est interpretandum vel melius et sincere intelligendum²⁷.

12. «*Accedunt*», uti videtur, recte auditur uti similitudo et appropinquatio, non autem ut disiunctio; quo in ultimo sensu, verbum potius fuisset supprimendum quam introducendum. Quod in codice latino initio ponitur c. 731, in Codice orientali in ipso textu c. 572 reponitur.

13. *Distinctio in codice orientali facta*, qua diverso loco et nomine ponuntur tum societates vitae communis (cc. 554-562) et societates vitae apostolicae (c. 572) felix est, quia ad veritatem et iustitiam fovendam conducit. Si societates vitae apostolicae non sunt vitae consecratae, melius alio in loco ponendae et retinendae sunt, uti v.g. inter christifidelium consociationes (cc. 573-583 in codice orientali). In codice autem orientali, ad has societates, quae non sunt vitae consecratae, proprio quidem loco in iure

²⁶ *Comm.* 13 (1981) 388-389. De tota hac materia in Commissione tractata vide E. GAMBARI, *Le società di vita apostolica e la vita consacrata in Commentarium pro Religiosis* 70 (1989) 227-262. Effert solutionem quaestionis fuisse non theoreticam sed pragmaticam ut sit «via media». Cfr. 239. Vide etiam studium F. MASCARENHAS SFX, *Societis of Apostolic Life: their identity and their statistics with regard to the consecration*, in *Commentarium pro Religiosis* 71 (1990) 3-65.

²⁷ De hac materia vide studium S. RECCHI, *Verbum «accedere» in canonibus 604 et 731 Codicis iuris canonici*, in *Periodica* 78 (1989) 453-475.

communi ponendae, utilis est c. 579 norma, qua praevideri potest incardinatio clericorum in tali consociatione; quae incardinatio secumfert necessaria potestatis regiminis seu iurisdictionis participatio in eius superioribus internis²⁸.

14. *Societates vitae apostolicae*, cur similes dicuntur, nunc opportune explicari videtur. Ex ipsa eorum definitione vel descriptione c. 731 § 1 data, similia eruuntur et ipsis et institutis perfectionis. Sunt sequentia:

1) Ad perfectionem caritatis tendunt (c. 731 § 1), sicut et instituta vitae consecratae (c. 573), instituta religiosa (c. 607) et saecularia (c. 710).

2) Vitam fraternam ducunt (c. 731 § 1) uti instituta vitae consecratae (c. 602), religiosa instituta (c. 607 § 2) et instituta saecularia (c. 716 § 2).

3) Tria consilia evangelica assumunt quaedam societates (c. 731 § 1) et formaliter, vinculo quidem constitutionibus definito, quod «sacrum» vocandum est (c. 731 § 2).

4) Ad apostolicam actionem sunt ortae (c. 731 § 2) et in eo conveniunt cum institutis religiosis quae, praeter monastico-contemplativa (*P.C.* n. 7 et 9; c. 674) vocata sunt «vitae apostolicae» (*P.C.* n. 8; cc. 675-677). Quae vita apostolica ad ipsam horum institutorum religiosorum naturam pertinet (c. 675 § 1).

Plura ergo apparent iam elementa similia inter vitae consecratae instituta et societates vitae apostolicae dari et in iure definiri.

15. *De votorum aliorumque vinculorum natura*,

²⁸ Canoni 579 in Codice iuris orientali viginti habebatur parallelus c. 691 in schemate Codicis latini anni 1980. Qui canon suppressus est, cum praesertim Societas sacerdotalis et Operis Dei proprium obtinuisset statutum.

quibus consilia assumunt sodales harum societatum, quaedam hic breviter adiungenda esse videntur, ut semper clarius fiat de hac materia doctrina eiusque praxis firmior. Certo certius illa vota non sunt privata, in solo foro interno assumpta, a confessoribus debitis facultatibus praeditis insciis superioribus societatis solvenda. Fuerunt, ut haec sententia vitetur, nominata «privilegiata» in Filiarum Caritatis constitutionibus; immo «recognita» vel «socialia» vocata, initio saltem apud quaedam saecularia instituta. Suntne sensu tecnico dicenda «publica»? Videtur huic quaestioni *affirmative* respondendum esse; etenim ipsa vota vel vincula vi constitutionibus vel statutis assumuntur, quae ab Ecclesia sunt approbata; ad ea emittenda a superioribus admittuntur, vi eorum potestate ab Ecclesia recepta; qua potestate nomine Ecclesiae agunt. Interventus auctoritatis ecclesialis in c. 576 indubie affirmatur et definitur. Quae omnia etiam de votis aliisque vinculis in Societatibus emissis valent.

Quaestiones remanent hodie nondum plene solutae, nam ultimo quidem momento has societates sub sectione IIa tractatae sunt et quidem celeriter nimis, a sociis commissionis non plene informatis, quarum alii unam, alii alteram sententiam tenebant. Hac de causa societates quaedam remanent de sua identitate indubite vel incertae vel turbatae.

Turbatio remanebit, donec fiat lux in hac materia et claritas obtineatur. At plures societates a S. Sede sunt iam approbatae, etiam recenter, quae vitam volunt agere consecratam eamque tenent, votis vel aliis sacris vinculis ad consilia servanda in earum consecratione definitis, in societatibus his emissis et susceptis²⁹. Quae facta, vinculorum nempe sacrorum

²⁹ Recenter Societates vitae apostolicae a S. Sede uti vitae

et approbationis Ecclesiae ignorari vel negari non possunt. Pertinent haec elementa ad harum societatum charismata, naturam, indolem, spiritum et finem.

Ob has rationes lux maior iam affert ius orientale, quatenus in eo distinguuntur «Societates vitae communis» et «Societates vitae apostolicae». Plenior exoptatur claritas e studiis iam publici iuris factis et ex ipsa harum societatum vita melius percepta et rectius intellecta³⁰. De his quaestionibus profundius alio in loco agere vellemus.

Conclusiones

Ex dictis de «Codice canonum Ecclesiarum Orientalium» et de traditione utriusque codicis Orientalis et Occidentalis seu latini, quaedam concludi possunt.

consecratae plures sunt approbatae. Inter eas ab A. SAUVAGE citantur «Maestre Pie Filippine» quae anno 1984 ut institutum vitae consecratae in approbandis earum Constitutionibus recognoscuntur. Item dicendum est de societatibus «Caritas socialis» (Wien), de «Assistenti Sociali Missionarie» (Palermo) et S. Elisabeth Schwesters (Freiburg im Breisgau). Vide elenchum a F. MASCARENHAS SFX confectum, in quo recensentur 72 Societates quae sunt vitae consecratae et 43 quae tales non sunt, in *Commentarium pro Religiosis* 71 (1990) 62-64.

³⁰ In *Annuario Pontificio* Societates vitae apostolicae viro-
rum sub proprio titulo enumerabantur, ab anno 1989 eae quae
mulierum sunt et iuris pontificis, ab institutis religiosis separantur
et sub proprio titulo collocantur. Ante annum 1989 hae societates
sub titulo unico de institutis religiosis mulierum assumebantur.

De his Societatum identitate vel natura vide J. BEYER S.I.,
Quaesita et dubia de SVA solvenda, in *Periodica* 76 (1987) 99-120;
447-495. Vide insuper *Le droit de la vie consacrée*, 1988, Tardy,
Paris, vol. II, 273-312. Italice: *Il diritto della vita consacrata*,
Ancora, Milano, pp. 519-567.

1. Codex Orientalis, uti fuit et primus latinus, erit unitatis et communionis inter Ecclesias particulares vinculum; immo maioris fiet iuris vigentis unitas et simplicior exinde canonum applicatio exoptatur.

2. Quae simplicior simulque firmior disciplina in his Orientis Ecclesiis probabiliter erit etiam Ecclesiis seiunctis adiumento. Exoptatur ut codex Orientalis unitatis incitamentum sit et instrumentum.

3. In iure vitae consecratae plura praevidentur et exoptantur:

a) fidelitas propriae traditioni inculcanda atque maior doctrinae Concilii Vaticani II assumptio.

b) Charismatum melior in vita consecrata cognitio simul ac clarior distinctio.

c) Autonomiae institutorum et iuris proprii definitio semper firmior.

d) Decurrente tempore, utriusque iuris de vita consecrata mutua confirmatio.

4. Pro utroque iure, latino et orientali, exoptari potest plenior iuridica vitae consecratae propositio, tum individualis vitae consecratae: eremitarum, ascetarum, virginum, viduorum et viduarum, tum etiam «collectivae» iuxta charismatum in variis institutis cognitionem et agnitionem.

5. Terminologiae unificatio exoptatur maior, quae ob fidelitatem erga Concilii Vaticani II doctrinam eiusque evolutionem praevideri potest. In Codicis Orientalis de vita consecrata titulo XII ipsa Concilii doctrina rarius explicite exponitur, immo canones remanent nimis a textu ante Concilium promulgato dependentes. Plura autem Orientalis traditionis propria sunt, quae iure particulari, adhuc redigendo, melius intelligi poterunt.

Remanet «Codex canonum Ecclesiarum Orientalium», uti promulgatus, verum monumentum iuris, quod etiam Ecclesiae Occidentalis subsidio erit, atque studiosis et pastoribus auxilio.

J. BEYER S.J.